



Freiherr v. Ende-Silhessnitz.

Hugo. Burd. sc.

XIII.  
DISSERTATIO SOLENNIS  
DE  
**OBLIGATIONE**  
**NATURALI,**  
QUAM  
A. T. S. T. A. N.

*Decernente Magnifico J<sup>c</sup>torum Ordine  
In Academia Pomerana*


P R A E S I D E  
VIRO Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo

Dn. JOANNE POMERESCHIO,  
J. U. D. & P. Celeberrimo, Consistorii Regii Adses-  
sore & Collegii Juridici h. t. Decano spectabili,  
Fautore & Promotore suo nunquam non plurimum  
colendo,

P R O L I C E N T I A  
Summos in Utroque Jure Honores, privilegia  
& immunitates obtinendi

*Publicae disquisitioni submittit*

M A T T H I A S Petersen/  
Rostochiensis,  
*In Hypero<sup>c</sup> Curia Oppidana 24. Septembr. An. 1661.*



G R Y P H I S W A L D I A<sup>Æ</sup>  
*Typis Matthai Doischeri, Acad. Typographi.*



VIRO  
Magnifico, Amplissimo, Consultissimo  
**DN. JOHANNI PETRÆO,**  
Reipubl. Patr. Consuli summè merito,  
Promotori & Patrono suo  
Maximo,

DISSERTATIONEM HANC  
INAUGURALEM

*In Gratitudinis, à pluribus annis jam  
debita, & perpetua obseruantia  
argumentum*

*auctorius offere*

*MATTHIAS Petersen.*

IN NOMINE  
Ter sancti, Ter adorandi, Numinis.

**G**loria de materia inaugurali  
discursui submittenda, & ex  
jure civili deducenda, mecum  
cogitarem: Obligatio natu-  
ralis caput confessim extulit,  
seg. à suis virtutibus; pietate,  
justitia, equitate, honesta-  
te, quibus non modo nobilissimas & precipuas ju-  
ris civilis materias, sed etiam extra illas, omnes  
actus civiles animaret, commendans, me postu-  
lavit, ut ipsam, sparsim & confusè subjure civili  
locatam, in ordinatam quandam dispositionem  
digererem, publicèq. luci exponerem. Tantum  
autem absuit, ut in hoc tam honesto postulato dif-  
ficilem experta fuerit, ut potius, ex scopo meira-  
tione, pro viribus ingenii exiguis & nimia  
temporis brevitate, ipsius desiderio gratificandi  
cupidissimum & paratissimum me offenderit. Abs-  
que ulteriori ergo verborum circuitu, promissæ  
opere me accingo, & obligationem naturalem  
ex ipso jure civili explico: ubi illud mihi pri-  
mum negotii dari credo, ne in questionem status  
incurrat, quod præcaveo, certam ipsi stationem,  
etymologia vulgo relicta, assignando.

A

I. Obli-

I. Obligatio stat, vel generaliter: tum pro vinculo  
juris publici, quo devincti sunt v. c. Magistratus, sub-  
diti: tum pro vinculo juris privati, quo privatus pri-  
vato adstrictus est. vel *specialiter*, I. in famoso juris  
significatu, pro obligatione, quæ, ex jure gentium ori-  
ginem trahens, jure civili approbatur & adjuvatur,  
vocaturq; civilis cum causa, quam vel contractus vel  
delictum subdit: ejusq; efficaciam est, ut firmam ex se  
producat actionem. Unde vinculum, quo necessi-  
tate alicujus rei solvendæ secundum jura adstringi-  
mur pr. I. de Oblig. definitur: & mater actionum, quas  
parere dicitur l. 42. §. ea obligatio. ff. de procurat. appella-  
tur II. in proprio juris significatu, pro ea obligatione;  
quæ ex jure civili originem & substantiam capit, acti-  
onemq; nisi ex accidenti, firmam, cum ipsi desit causa,  
non procreat. l. 5. ff. de just. & jur. ibid. Gloss. & Da. §. I.  
I. de obl. l. 5. C. de inutil. stipul. l. 3. §. 1. ff. de pee. conslit. Ut  
frustrà Zoesius, ad tit. ff. de Obl. & Act. n. 5. hanc sup-  
positionem, in jure fundamat, perneget, non distin-  
gvens inter obligationis merè civilis finem & substan-  
tiam. Respectu finis semper conjuncta est cum natu-  
rali æquitate, ut hac deficiente, per exceptionem  
infirmetur & elidatur. l. 36. ff. de V. Obl. §. un. I. de liter.  
*Oblig.* Respectu substantiae verò sine causa & æ-  
quitate naturali subsistere potest, ut etiam ex ea actio,  
exceptione non mature objecta, per accidens existat.  
d. t. I. de Liter. Obl. arg. l. 36. ff. de V. Obl. Particulæ Tan-  
tum, quam, pro determinanda suppositione, Zoesius  
reqvirit, nulla est ratio, quod ipsa in pluribus textibus  
Bartholozzian inferret, cum, ex oppositione, ejus determi-  
natio satis perspicua sit. III: In improviso juris  
significatu pro Obligatione, quæ merito justitiae, hone-  
statis,

statis & æquitatis vinculo sustinetur l. 41. ff. de pecul. l.  
95. §. 4. ff. de sol. nullamq; ex se gignit actionem l. 10. ff.  
de Obl. & Act. Et in hac suppositione Obligatio mihi  
consideranda venit.

II. Vocatur autem *Naturalis*, non à natura com-  
muni animali, prout jus vocatur naturale l. 1. §. 3. ff. de  
just. & jur. sed à natura propria humana, prout jus na-  
turale dicitur in §. singulorum. Inst. de R. D. & naturalem  
æquitatem spectat l. 1. pr. ff. de paci.

III. Variis autem nominibus vis & natura hujus  
obligationis naturalis exprimitur. Sic dicitur vincu-  
lum naturale l. 59. ff. de cond. indeb. vinculum æquita-  
tis l. 95. §. 4. ff. de sol. Ratio naturalis l. 5. §. 16. ff. de  
agn. & al. lib. Officium pietatis ibid. §. 17. Naturalis æ-  
quitas l. 1. ff. de minor. Pudor §. 1. I. de fideic. hered. Sed  
haec, ut & aliae appellations, cum confusè & inadæ-  
quatè objectum hujus obligationis intellectui sistant,  
vix est, ut earum aliquaratio habeatur. Sic statu huic  
obligationi designato, ipsius natura penitus introspi-  
cienda venit.

IV. Obligatio Naturalis est vinculum juris Na-  
turalis, quo ex justitia honestatis & æquitatis ad ali-  
quid faciendum tolendumve trahimur. Dari jus na-  
turale, quo ex honestate, justitia, æquitate in negotiis  
civilibus, præter jus civile, ligemur, & jus Civile &  
Canonicum asserit. Illud quidem; quoties vel ge-  
neraliter naturalem rationem aut honestatem aut æ-  
quitatem, in decidendis causis civilibus, sequitur, eaq; jus  
aliquid in se continere, cuius ubique ratio habenda sit,  
subinnuit: vel specialiter hunc vel illum ex æquitate  
& naturaliter obligari statuit. Hoc verò; quando in  
ipso Decreto principio dist. 1. docet: Humanum genus

duobus regi: Naturali jure & moribus. Ubi quemadmodum per mores indigitatur jus, scripto & moribus constans. arg. c. consuetudo. s. d. i. Sic maximè per jus naturale notatur Naturalis æquitas & justitia: quandoquidem per id, quo quis jubetur alii facere, quod sibi fieri vult, paulò post explicatur. Appositi Gellius: *Multa, inquit, ratio honestasq; fieri jubet, qua legibus & jure civili non precipiuntur.* Et angusta, secundum Senecam, est innocentia, ad legem bonum esse. Nam multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia & fides exigunt, que sunt extra tabulas publicas. Ut reEtè Cicero lib. 2. Rhetor. Jus, quod constat ex natura, pacto, bono & æquo, contradistingyat ei, quod est ex lege & consuetudine. Ex hoc itaque jure definitio Obligationem naturalem per vinculum, securus tum Papinianum in l. 95. S. 4. ff. de solut. tum ipsum Imperatorem, in pr. I. de Oblig. & quidem, ut distingvatur ab obligatione civili, juris naturalis: considerati tam absolute, quod ex convenientia & inconvenientia necessaria cum natura rationali, quam relata, quod, si non indubitate, saltem probabili fide, ex usu gentium aut moratorum omnium intelligitur. Differentiam, cum de ea inferius constabit, hic explicare supersedeo. Illud in genere ex ea eluescit, quod ratio humana naturalis dictet, non modò bonum & æquum esse, ut promissis satisfiat, siquidem, secundum Ciceronem i. de off. Nihil magis sic secundum natum, quam fides, dictorum conventionumq; constantia & veritas: sed etiam, ut, quod alterum alteri præstare justum & honestum est, licet promissum non sit, præstetur. arg. l. 7. ff. de serv. export.

V. Dividitur hæc obligatio, in Naturalem ita καὶ οἰκονόμην, alias Minus plenam, distam: & Juris Gentium quæ:

quæ etiam *Plenior* vocatur. Dicitur *Naturalis* præcise & in se considerata, quatenus in meritis honestatis terminis consistit: *Minus pleno*, in oppositione plenioris, quod nullos effectus à jure civili sortiatur, sed naturali suæ honestati & pudori committatur. *A jure Gentium* autem Obligationis altera species denominatur, quod intercedente vel consensu vel conventione, ex usu gentium subsistat: vocaturq; *Plenior*. Sutholt. *diss. 12. tb. 15.* in oppositione Obligationis naturalis merè talis, quod, juris civilis assentia, præilla peculiaribus quibusdam effectibus gaudeat.

**V I.** *Merè talis & Naturalis*, in specie sic dicta, est vinculum juris naturalis, quo ex justitia honestatis & æquitatis absoluta, ad aliquid faciendum præstandumve trahimur. *Vocabulum juris naturalis*: in statu suo absoluto, quo ex convenientia cum ratione naturali deducitur, concipiendum est. *Trahimur* autem ex hac obligatione ad faciendum, non stringimur: quia liberum nobis est, ea, quæ ex honestate & æquitate ita debemus, præstare, vel minus, nec ullâ necessitate in foro exteriori urgemur.

**V II.** Cum vero in dupli specie hæc obligatio naturalis mihi objiciatur: altera *informi*, altera *formata*: non ineptè eam subdistingvere mihi videor in *informem & formatam*. *Informem* dico, non in se, nam eatenus suam essentiam satis perfectam obtinet, sed respectu juris civilis, quod nullo auxilio, nullo effectu eam communict, sed nudam derelinquit. *Formatam* vero, quod authoritate juris civilis sufficiatur & vi a-gendi instructa sit. Illam, quæ propriè hujus loci est, porro explico per subiectum & objectum.

VIII. Subjectum, quod ex hac naturali obligatione trahitur, sunt omnes homines, quatenus ratione naturali praediti sunt, ut adeò illi, qui jure civili obligari prohibentur, in hunc numerum etiam veniant. Nam cum jus naturale hujus obligationis causa adæquata existat, illud autem immediatè ex ipsa ratione naturali proveniat, constat quo ipsa se extendit, etiam hanc Obligationem sese extendere: cumq; per ipsam omnes homines æquales sint, non Dominus, non servus: non pater, non filius: non mas, non femina: non minor non major intelligatur; nec pupillum, nec servum, nec prodigum, nec alias damnatum hac obligatione exemptum esse.

IX. Objectum, ad quod obligat, sunt actus humani, in civili vita ad justitiam honestatis & æquitatis informati. Requiritur in actibus istis consonantia, quædā justitiæ & honestatis vel æquitatis, ne justitiæ, honestatis & æquitatis velamine imponatur, aut honestati vel æquitati per justitiam præjudicium fiat, quod alias facile contingere potest. Sic v. c. Testator, qui testamento suo, præteritis fratribus, extraneū heredem instituit, ex liberalitate satis honestè agit, minus verò justè, dum nulla ratione sangvinis habita, præ fratribus eos, qui nullo sangvinis vinculo ipsum continent, & forsan etiam ab opibus satis instructi sunt, heredes eligit. l. 5. §. 2. ff. de agn. vel al. lib. Sic ex adverso justum est, ut quis, quod sibi debetur, in solidum persequeatur: sed minus honestè faciet, si ita jure suo contra fratrem, qui solvendo solidō non amplius par est, utatur. l. 63. pr. ff. pro soc.

X. Hinc itaque heres ex testamento, solemnitatibus juris civilis destituto, modò certa de voluntate testa-

testatoris constet, naturaliter ex iusto & honesto obli-  
gatur. Nam ratio naturalis, voluntatem ultimam prae-  
cise servandam esse, dictat, ejusq; dictamine Gentes  
moratores voluntatem testatoris secutæ, non alias  
solemnitates moratae sunt. Sic ad extremam volun-  
tatem Alcestidis apud Euripidem:

Tέτες (liberos intelligit) ανάγκη δεσμός τείμων δόμων.

Καὶ μὴ πρόμην ποιεῖ μηδὲν πίνεις,

Simpliciter respondet Admetus:

Τελευτήσω τίδε.

Ut adeò ex naturali justitia & honestate, quilibet sese  
voluntati certæ, utut non solenniter declaratæ, sub-  
mittere, legata præstare & facta exequi teneatur. arg.  
l. 16. C. de Testam. l. 2. C. de fideic. Hac ductus Imper-  
ator in l. 38. ff. de fideic. libert. respondit, pios filios de-  
buisse eam manumittere, cui Pater in testamento mi-  
nus solenni libertatem dederat: Cum insuper liqui-  
dum sit, solemnitates testamentarias, non esse de sub-  
stantiali testamenti forma, quod falso affirmavit Co-  
varr. ad c. cum effes. 10. X. de testam. Gomez. & alii: sed ad re-  
pellendam fraudem, à jure civili excogitatas esse: ut  
ita hac, per certitudinem voluntatis defuncti, sibi con-  
stantem, cessante, jure naturali earum ratio vix ha-  
beatur, sed præcise locum obtineat illud Virgilii,

Suprema voluntas

Quod mandat fieri, jubet parere necesse est.

XI. Sic qui muneribus affectus est, ad remune-  
randum naturaliter tenetur. arg. l. 25. §. 11. ff. de hered.  
pet. non ex conventione, ne tacita quidem, quam  
præter necessitatem Bacchovius probare videtur Diff.  
r. tb. 18. de Act. quia animus hic non contrahendi, sed  
tantum distrahendi intelligitur, cum donator verè ta-  
lis.

lis, nullam aliam ob causam det, quam ut liberalitatem & munificentiam exerceat. *l. 1. pr. ff. de donat.* sed ex honesta æquitate. Quippe nullum, ut Cicero inquit, officium referenda gratia magis necessarium, quam non reddere, bono viro haud licet, modo id facere posse sine injuria. Imò putbrum est, ait Ambrosius, propensiorem haberi ejus rationem, qui tibi aut beneficium aliquod aut munus contulit. Et non multò post: Quid tam contra officiam, quam non reddere quod acceperis. Et hoc probè attendens Attalus Rex, Asiam amplissimam, à Populo Romano ipsi datam, piè testamento reddidit. Valer. Max. lib. 5. c. 2. Pari modo ex hoc capite, pro accepto beneficio Marumissionis, Libertus obstrictus est Patrono, ad operas etiam non promissas præstandas. *l. 26. §. 12. ff. & e cond. indeb. l. 2. C. de in jus voc.*

XII. Creditor quoque, ut debitori, temporis calamitate & injuria misero, vel ab alia vi majori ad inopiam redacto, remissionem aliquam concedat, indulsum moratorium largiatur, vel alio modo de jure suo ob ejus calamitatē aliquantis perdecedat, naturali jure obstrictus est. Non urgeo hic pietatem duras creditorum exactiones in hoc casu non improbantem, modò, sed etiam damnantem; justitiam saltem æquitatis & humanitatis in scenam accerso, cuius ratione bono & æquo non convenit, alterum alterius damno lucrari. *l. 16. ff. de iur. dot.* Nec afflictio afflictio addenda, sed miseriis ipsius potius miserendum. *c. ex parte 5. X. de cler. agrot.* non obstante æquitate servandorum promisorum naturali. *l. 1. pr. ff. de paol.* vel fide, quæ Ciceroni *l. de off.* fundamenum est justitiae: nec principio juris universalissimo: SUUM CUIQ. TRIBUERE. Hæc enim, imperturbato & non mutato statu, immotè

tè stant, qui si casu quodam invincibili in deterius ver-  
gat, & illa quandam mutationem subire recessum est.  
Ut adeò, cum omnia promissa, omnes conventiones  
hac implicita lege, si res in eodem statu perdurabunt:  
ineantur. argum. l. 38. pr. ff. de sol. l. 8. ff. de confirm. tut.  
l. 23. ff. de condit. instit. l. 13. §. 1. ff. de ann. leg. summè æ-  
quum sit, ex nova & improvita, vicissitudine oborien-  
tem aliam justitiam & æquitatem, priori aliqua ex par-  
te derogare, locumq; aliis juris præceptis v. c. ne quis  
opprimatur: ut civilis societas conservetur: facere.  
Quid jure civili stricto & summo hic obtineat, ex una  
l. 14. C. de contrab. empt. in aprico est, qua gravis inju-  
ria estimatur, si homines de rebus suis facere aliquid  
inviti cogantur: cui rigori l. 12. §. 1. ff. qui & à quib. ma-  
num, id quod scripta lege continetur, et si durum sit,  
servare præcipiens, adhuc sit; & l. 13. §. 1. ff. de injur. exe-  
cutionem juris injuriam non habere, docens, culci-  
triam supponit. Sed cum latior scripto jure sit æqui-  
tatis, honestatis & humanitatis obligatio, non modò,  
quid legibus expressum, cum istæ, ad certum tempo-  
rum, rerum & personarum statum, sèpius conditæ &  
& legislatorum intentione atque ipsius constitutionis  
ratione adstrictæ sint, sed etiam quid pietati, humani-  
tati & æquitati conveniat, inquirendum & sequen-  
dum est. Verba sunt Magnif. Dn. Mevii in discus. le-  
vam. inop. debit. t. 3. n. 4. 5.

XIII. Judex etiam in controversia, non proba-  
tiones & acta, sed certissimam suam conscientiam, &  
in condemnando & in absolvendo, ex naturali justitia  
æquitatis, sequi tenetur. Hæc enim nil magis, quam  
falsitatem, omnis iniquitatis matrem, aversatur, cui

B

sane

sanè Judex, ad probata simpliciter, exclusā conscientiā, procedens, patrocinium p̄fstat. A Dd. autem hoc non tam ex jure naturali quām civili controvertitur & pro negativa concluditur. Pro decisione contra eos hic obiter notetur, quod super hoc casu, ut rarissimo & irregulari, expresse in jure civili statutum non sit. Per consequentiam tamen, in puncto juris verius est, quod Judex, p̄ actis, evidentem suam conscientiam, non modò in condemnando, quod Zoesius qua causas criminales majores, ægrè tandem *ad tit. ff. de jud. n. 54.* concedit, sed etiam in absolvendo sequi obstringatur. Jubetur enim ex sententia animi sui judicare, *l. 3. §. Ejusdem. ff. de test.* sententiam proferre, prout religio suggestit *l. 79. §. 1. ff. de judic.* boni & innocentis viri officio fungi *l. 4. §. 1. ff. fam. erisc.* id, quod à litigatoribus minus dictum fuerit, supplere *l. un. C. ut quæ def. adv.* quæ satis liquido ipsius conscientiam in actu judicandi requirunt. Nec, quæ ex jure pro contraria sententia afferuntur, tanti sunt, ut quem movere possint, cum plerumq; in diversis terminis concepta sint. Publica etiam utilitas, quam Zoesius pro ariete objicit, honestati, pietati, veritati p̄judicare, nequit, p̄sertim cum nihil utile haberi debeat, quod non sit piū & honestum, ut disserit Cic. *l. & 3. de off.*

XIV. Fratribus etiam & sororibus, si inopes sint, nec sibi industria sua de necessariis vitæ prospiceret queant, jus naturale alimenta decernit. *arg. l. 13. §. 2. ff. de admin. tutor. imo & dotem arg. l. 12. §. 3. ff. de admin. tut.* ut ab honestate d. *l. 12.* & caritate sanguinis, cuius causa perpetua est, abire videatur, qui sine causa ea denegat.

XV

XV. Effectus hujus Obligationis Naturalis in foro exteriori planè nullus est. In foro interiori, Ratio naturalis, particula divinæ imaginis, singulari Dei gratia homini reliqua, per eam ex Iusfru naturæ imponebit nobis necessitatem præstandi: & si in iis, quæ absolutes justa & æqua sunt, non paremus, conscientia impeditos nos, arctius vinciendos, summo Numinis tradit, quod Cicero innuit in fragm. lib. 3. de Republ. supra rationem ita disserens: *Vnus erit communis quasi Magister & Imperator omnium DEUS.* Ille legis hujus inventor, disceptator, lator. Cui qui non parebit, ipse se fugiet ac natum hominum aspernabitur, atque hoc ipso tuet maximas pœnas, etiam si cetera supplicia, quæ putantur, effugerit. De his exactius Excellentiss. Dn. D. Engelbrecht, Rector hujus Universit. b. t. Magniss. in Disputatione sua inaugurali ad L. Fratrem fratrem 38. ff. de cond. indeb. c. 1.

XVI. Sic evoluta Obligatione naturali informi, prælibanda quoque venit formata, quam ita appello, quod peculiari efficacia à jure civili donata sit. Nam cum antea in meritis honestatis & æquitatis terminis hæreret, nullaq; vi agendi prædicta esset, jus civile, ejus in Republica necessitatem perpendens, à jure naturali receptam reformavit & vim pariendo actiones ipsi clargitum est.

XVII. Huc revoco POTESTATEM PATRIAM. §. 2. I. de patr. pot. Nam jus naturale exposcit, ut, qui sibi ipsi imperare nequit, alterius imperio & potestati subficit. Hinc liberis, quorum

*Ætas prima (quod Æschyli effatum est) ceu brutum  
Ut educetur, mentis alienæ inatget. (pecus  
cum sibi consulere non valerent, de regimine prosp-*

xit, illudq; , cum naturaliter alium non inveniret , pri-  
mò parentibus addixit, *Grotius de jur. bel. lib. 2. c. 5. n. 2.*  
*Quod jus Romani postea ex L. Romuli. pleniori pote-*  
*state ac vi, ut sibi tā subjectos magis obstrictos red-*  
*derent, instruxerunt, Dionys. Halic. lib. 2. TESTAMENTA.*  
Nam pro naturali dominio in suas res , & potestate in  
sibi subjectas personas , in ultima voluntate , pro libi-  
tu statuere , sibiq; ita hunc vel illum naturaliter obli-  
gare , semper licitum fuit. Huc facit dispositio Isa-  
aci, alteri filiorum benedictionem conferentis, *Gen. 27.*  
*Cyri, inter filios suos convocatos Imperium & Re-*  
*gnum dividentis, apud Xenoph. lib. 3. de ped. Hercu-*  
*lis apud Sophoclem, Alcestidis apud Euripedem,*  
*Telemachi apud Homerum.* Et minus huma-  
num ratio naturalis existimavit , facultatem circa res  
suas ordinandi, quam viventes habuerunt , morituris  
adimi arg. *text. I. de leg. fus. can. toll.* Potest quoq; grave ri-  
deri, inquit Quintilianus, ipsum patrimonium , si non inte-  
gram legem habet, & , cum omne jus nobis in id permittatur vi-  
rentibus, afferatur morientibus. Ut hinc satis appareat,  
substantiam testamentorum , & ex illis naturalem  
quandam obligationem , ab ipso jure naturali, solen-  
nitates verò, & vim, in iis relicta persequendi, pecu-  
liarem à jure civili promanare. *SUCCESSIONEM ab inte-*  
*stato, qua liberis debetur.* Rationi enim naturali , defun-  
ctum, voluntate non declarata, hoc animo decessisse,  
ut voluerit, bona sua occupanti concedi, non sit veri-  
simile, sed potius illis ea destinasse, quibus per natura-  
lem & justam æquitatem debentur. *Grotius de jur. bell.*  
*lib. 2. c. 7.* Debentur autem primò liberis *ως ὀφείλουσα*  
*τὸν πλῆρον ἐπέδεχομένοις*, ut loquitur Plutarchus *de prot.*  
*AMOR.*

amor. qui, ut à parentibus vitam suam adepti sunt,,  
ita instinctu quodam naturæ, ab ipsis ea, quæ ad istam  
vitam sustentandam faciunt, exspectant. Huc illud  
Pauli Jcti: Ratio naturalis, quasi lex quædam tacita,  
liberis parentum hereditatem addicit, velut ad debi-  
tam successionem eos vocando in l. 7. pr. ff. de bon. dam.  
Philonis, de rit. Mos. 3. ὁ νόμος ἐστιν, καληρονομεῖ δικαιο-  
δοῦ γονεῦ τὸν παῖδαν: & Apostoli Pauli: ἡ γονεῖς ὁ φέιλεπος  
τοῖς τέκνοις θυσιαζεῖται, t. Cor. 12. EDUCATIONEM ET ALIMENTA,  
liberis praeflenda. Nam naturalis stimulus parentes ad  
liberorum educationem hortatur, ut inquit Justinia-  
nus l. un. C. de rei ux. act. Et αὐτὴν φύσις, διδάσκαλος  
ἀπὸ τοῖς ζώοις ἐστὶ τοὺς Διετήρησον εἰ μόνον εαυτὸν ἀλλὰ καὶ τῶν  
γεννωμένων, Diod. Sic. FIDEICOMISSA, quæ primis tem-  
poribus nullo vinculo juris, sed tanium pudore eo-  
rum, qui rogabantur, continebantur, prout loquitur  
Imp. §. 1. I. de fideic. hered. TUTELAM. §. 6. I. de Attil. Tut. &  
alias complures juris materias, Sed cum ex hisce jam  
civiliter obligemur, ut Obligationis naturalis ob-  
jectum amplius non sint, iis pluribus non immoror, &  
ad alteram speciem Oblig. Natur. devenio.

XVIII. Obligatio *Juris Gentium*, alias etiam  
Plenior dicta, est vinculum juris naturalis, quo ex justi-  
tia æquitatis respectiva, ad id, quod promisum est,  
præstandum stringimur. Per *jus naturale* hic maximè  
illud, quod ex usu gentium moratiorum constitutum  
est, intelligitur. Convenientiam justitiae & æquita-  
tis pariter, ut in Obligatione purè naturali, requiro:  
cum idem, quod in illa, hic evenire possit. arg. l. 3. pr.  
C. de collat. arg. l. 6. C. de liber. caus. Non autem specta-  
tur hac in obligatione, tam justitia æquitatis in se &

quatenus talis, quam in consensu & placito, quatenus  
iste justus, hoc æquum, unde respectivam eam dixi.

XIX. Hanc itidem à duplice specie, qua mihi  
in jure civili exhibetur, distingvo in *informem* & *for-*  
*matam*. *Informem* nuncupo, quod omni vi agendi de-  
nudata sit; & paulò aliter, quam supra th. 7. hic vo-  
cabulum illud suppono: Ibi enim omnimodam nu-  
ditatem infert, hic talem, quæ quibusdam quidem ef-  
fectibus, jure civili adstante, gaudet; vi autem  
agendi, ceu principalissimo effectu, planè nuda sit:  
Atque ipsi oppono *formatam*, quam ita apollo, quod  
à jure civili non modò in totum recepta & approbata  
sit, sed etiam præterea ei vis, ad agendum & perse-  
quendum valida, ab isto specialiter accesserit.

XX. Cum autem in jure civili, duobus maximè  
modis Obligatio hæc naturalis sese prodat. Uno qui-  
dem, ubi negotio aliquo civiliter instituro, vel etiam  
planè nullo intercedente, solus aëtus & consensus na-  
turalis paciscentium & promittentium respicitur: Al-  
tero verò, ubi præter consensum paciscentium maxi-  
mè placitum in considerationem trahitur. Hinc non  
incommode Obligationem Juris gentium in *formalem*  
& *materiale* subdistingvo.

X XI. Obligatio Juris gentium *formalis*, quæ  
ex consensu paciscentium & promittentium existit,  
est vinculum, quo alter alteri, ex consensu justo & æ-  
quo, naturaliter obligatur. Cum verò hæc obliga-  
tio subjecta promittentium potius concernat, & ex  
iis explicanda veniat, illa ex jure civili subjicio.

X XII. Pupillus itaque proximus pubertati, ex  
negocio civiliter contracto, naturaliter ligatur. l. 1. §. 1.  
ff. de

*ff. de nobat. l. 21. pr. ff. ad L. Falcid. l. 25. §. 1. ff quando dies leg.* Ut autem Obligatio hæc pupilli accuratius perciptatur, tres formo conclusiones. I. Pupillus, ex contractu locupletior factus, non tam obligatur naturaliter, quam civiliter, cum contra eum actio civilis utilis, ex rescripto D. Pii institui posit arg. l. 3. pr. ff. Commod. l. 3. §. 4. ff. de neg. gest. Zoef. ad t. de Obligat. & Aet. n. 47.

II. Pupillus ex contractu non locupletior redditus, qua effectum naturaliter non obligatur. Huc referenda l. 41. ff. de cond. indeb. & l. 59. ff. de Obl. & aet. Favorem pupilli ob infirmum judicium facit, ut iure civili isti obligationi effectus adimatur, Donell. in l. 127. ff. de Verb. Obl. Et male hinc alii Donellum refutant, concludendo aliquam obligationem realem, quæ inde sequeretur: manet enim obligatio in pupillo, neque ejus personam egreditur; at effectus extrinsecus saltem impeditur. Gochauss part. 1. peric. Aet. q. 45.

III. Pupillus, ex contractu non locupletior factus, qua ipsam causam & substantiam obligationis naturaliter obligatur: Quo pertinent leges in pr. b. tb. alleg. & quidem ex justitia contractus, se in consensu, sibi constante, fundante. Ut hinc obligatio pupilli naturalis pro valida, respectu tertii, cui iura minus favent, habeatur, & fidejusfor, ei accedens, firmiter tenetur l. 127. ff. de V. O.

Pari fere modo. Mulier ex intercessione & Filius. ex mutuo, qua causam & substantiam obligationis naturalis obligantur, ut etiā ipsis fidejusforis accedere possint, sed beneficio SCotorum obligationis illius natura-

lis effectus impeditur l. 40. ff. de cond. indeb. l. 9. C. ad SC.  
Vellej. l. 16. ff. eod. Cum verò effectus ipsius, non modò  
in principaliter obligatis, sed & fidejusoribus per ad.  
SCta planè exspiret, ut, excepto uno catu filiifam.  
ex mutuo obligati in d. l. 40. ff. de cond. ind. per se nul-  
lus sit, eahic non attenditur.

X X I I I. Servi, quamvis jure civili pro nullis ha-  
beantur l. 1. ff. de jur. delib. & propterea ex contracti-  
bus obligari nequeant, l. 43. ff. de Obl. & Act. jure natu-  
rali tamen quo omnes homines æquales sunt, l. 32. ff.  
de R. I. ex contractu tenentur l. 14. ff. de Obl. & Act. &  
sibi alium, etiam ipsum Dominum obligant arg. l. 64. ff.  
de cond. ind.

X X I V. Sic quoque frater fratri. filius patri, &  
pater filio naturaliter obstringitur ex contractu arg. l.  
frater à frat. 38. ff. de cond. ind. Evidem jure civili fi-  
lius vel fratres, in eadem potestate patria existentes,  
caput habere non intelliguntur, cum fictione juris una  
eademq; persona cum pare censemantur l. f. C. de impub.  
& al. sublit. & corporis ejus pars quædam vocentur,  
l. 22. §. 1. C. de agr. cens. proinde nec aliis, nec sibi invi-  
cem obligari queunt arg. l. 4. ff. de jud. & quicquid ac-  
quirunt, patri cedit. §. 1. Inst. per quas pers. nob. acq. Jure  
verò naturali, quod ius civile nullo modo tollere po-  
test. diversitas personarum durat, & tot sunt capita-,  
in familia, quot personæ, ut adeo, impedimento ficti-  
onis cedente, pater filio, filius patri & frater fratri  
naturaliter obligetur secundum d. l. frat. à frat.

Quoniam vero d. l. frat. à frat. ex qua Obligatio  
naturalis inter fratres, filium & patrem probatur, dif-  
ficultatem aliquam continere videtur, operæ pretium  
me,

me facturum autumo, si casum & rationem ejus ex-  
plicatius sistam. Species facti in hac lege talis est:  
Fratum duorum, in eadem patris potestate existen-  
tium, alter peculium à patre habens à fratre mutu-  
um accepit. Non longè post pater cedit fatis, & al-  
ter, qui accepit mutuum, ut debitum naturale illud  
alteri fratri reddit. Tum ambo fratres hereditatem,  
à patre reliquam, dividunt. Demum alter, qui to-  
tum mutuum jam fratri solverat, admonetur sui juris,  
ut solutum reposcat; atque condicione meejus in-  
stituit. Hinc quæsum est, an ex has condicione,  
solutum ut indebitum recuperare possit. Et respon-  
sum, quod pro ea parte, qua ipse patri heres extitit,  
repetere tantum posit, præterquam si ex peculio  
ipsius tantum ad fratrem creditorem pervenerit, quo  
ipsi, etiam qua alteram partem mutui, abundè satisfa-  
ctum sit; tum enim & alteram partem, ut indebitè so-  
lutam, condicione consequi queat. Cujus juris ratio  
ut magis conspicua reddatur; sciendum, quod filius-  
famil. omnem obligationem, non modò civilem, sed  
& naturalem qua effectum, iqui juris est, patri suo  
confestim, ut perfecta est, acquirat, ut nec momento  
in ipsius persona subsistere possit, quæ verba sunt  
l. 79. ff. de acqvi. hered. quod etiam probatur ex §. 4. l.  
quod cum eo qui. ubi pater ex peculio deducit non mo-  
dò, quod servus ipsi, sed & ei, qui in ipsius potestate  
existit, debet; & ex verbis hujus legis, filio eidemq. de-  
bitori: elicitor. Cum autem quævis obligatio con-  
fundatur, vel acquisitione hereditatis, cum debitor  
creditoris heres fit, l. 95 §. 2. ff. de sol. l. 2. §. 3. ff. sol. matr.  
quod natura non patiatur cundem debitorem &

C

cre-

creditorem eodem respectu: vel acquisitione pecu-  
lii, si peculum debitoris ad creditorem peculiarem ac-  
cesserit, quod confirmant verba hujus legis: *Natura-  
lem obligationem, quæ fuisse, hoc ipso sublatæ riederit, quod pecu-  
lii partē frater suus consecutus:* quandoquidē hoc casu cre-  
ditor sibi solvisse intelligitur, simili ratione, qua ven-  
ditor retento peculio servi venditi sibi solvisse censem-  
tur l. 47. ff. de pec. liquidum est, quod & in specie hujus  
legis, obligatio fratris debitoris, patri jure acquisita  
per mortem patris confundatur, & pro ea parte, in-  
quam frater debitor succedit, extingvatur. Et huc  
usque frater debitor, qui fratri ex obligatione natura-  
li totum mutuum persolverat, condicitionem validam  
pro ea parte, qua heres est, instituit: Ut si v. c. ex di-  
midia parte heres sit, & mutuos 20. solverit, 10. repe-  
tere possit, reliquis 10. fratri coheredi ex obligatione  
naturali salvis. Quod si vero frater debitor peculum  
etiam contulerit, & ex eo fratri coheredi tantum jure  
hereditario accesserit, quo partem naturalis crediti,  
quæ ipsi remansit, compensare possit, fratri debitori  
quoque dabitur condicō pro consequenda parte so-  
luti debiti, apud fratrem residua, quæ indebita habe-  
tur: nam, ut prior pars soluti debiti, intercedente  
commixtione, repeti poterat; ita & hæc posterior,  
quasi solutione ex peculio communicato interveniente  
& residuam partem crediti tollente, rectè reposci-  
tur. Sin minus, vel nihil, peculio forte fratri debitori  
prælegato, ad fratrem creditorem pervenerit, jure  
obligationis naturalis, partem, ex debito naturali so-  
luto reliquam, retinebit: vel si nihil solutum sit, eo-  
dem jure istius debiti deductio, judicio puta famil. er-  
cisc.

cisc. institui poterit, quia & alienum ipsum peculium sequitur. Membrum prius confirmatur argumento, ab extraneo creditore peculiari petito. Nam si & quum est, ut in casu peculii, inter duos fratres jure hereditatis & qualiter divisi, alter ab altero, pro parte acquisiti peculii, adversus creditorem peculiarem extraneum indemnus praestetur; multo magis frater, in casu divisi peculii, fratrem adversus seipsum indemnem facere, ex honestate & aequitate naturali tenebitur, ne frater pejoris conditionis sit apud fratrem, quam extraneus. Sic enodato principio, nulla porro difficultas in sequentibus duobus §§. residet. Nam, quam repetitionem inter fratres, principium, propter obligationem naturalem confusione sublatam, concedit, illam subseqventes §§. ob obligationem, inter filium & patrem perdurantem, planè denegant, arguento similiter ab extraneo creditore peculiari pro confirmatione desumpto. Et sic, obligationem naturalem inter has, jure civili coniunctissimas, personas posse consistere, nullum est dubium.

XXV. Huc demum refero Pollicitationem, ex qua jure naturali etiam obligamur. Ratio enim & aequitas naturalis exposcit, ut, quod quis recte pollicitus est, id praestet C. I ARG. de Pollic. tb. 3. Ut autem obligationis hujus naturalis tenor rectius percipiatur, pollicitatio recte constituenda est.

XXVI. Pollicitatio h. l. non sumitur late, prout denotat promiscue quamvis promissionem l. 43. §. 1. ff. de contrab. empt. l. 1. §. 8. ff. de dot. collat. l. 3. C. de donat. ant. nupt. etiam pactum nudum l. 5. C. de contr. & comm. slip. in rubric. de dot. prom. & nud. pollic. l. 1. C. de jur. dot. Ne-

que strictissime, pro ea, quae sit vel DEO, vel Reipubli-  
cæ, de qua passim in t. ff. de pollicit. l. 5. ff. ad L. Falciid. l. 6.  
§. 1. ff. de muner. & honor. l. un. C. de ratiocin. op. publ. Sed  
strictè & propriè, quatenus nudam promissionem signi-  
ficat l. 2. ff. de pollicit. recteque definitur nudum &  
spontaneum offerentis promissum, ex liberalitate ali-  
cui factum, Weseemb. in paratit. de pollicit. Dn. Tabor  
in Elem. Part. de Oblig. in gen. lib. 34. quomodo satis di-  
lucidè à pacto discernitur, quod præter duorum con-  
fessum ultro citroq; certum, conventionem etiam ex  
diversis animi motibus l. 1. §. 3 ff. de pact. de eo, quod  
utrinque verbis concipitur, requirit: ut frustra identi-  
tatem pacti & pollicitationis Bart. ad l. 1. C. de pact. Jas.  
ad rubr. de Verb. Obl. Menoch. de presump. lib. 3. pr. 42.  
& post hos Bachovius in Treutl. diss. 6. de pact. lib. 1. l. B.  
propugnat.

XXVII. Ex hac Pollicitatione secundum natu-  
ralem æquitatem obligatio emanat, ut, quod sponta-  
neo & deliberato animo promissum est, præstetur.  
Ubi primò probè observandum, non omne sine discri-  
mine pollicitum constituere obligationem, sed tale,  
quod ex justa, non incerta, non violenta voluntate  
promanat: Grotius de jur. Bell. lib. 2. c. 11. n. 4. 5. 6. 7.  
quod, antecedente aliquali causa, ex animo delibera-  
to & firme fluit arg. l. 1. §. 1. ff. de pollic. & in jure polli-  
centis radicatum est. Quibus præsuppositis, cum  
nihil tam naturale sit, quam ut voluntas Domini rem-  
suam in alium transferre volentis, rata habeatur; pro-  
ut habet §. 40, Inst. de rer. dir. eo quod quisque rei suæ  
sit moderator & arbiter, l. 21. C. mandat. atq; naturalis  
æquitas & fides voluntatis certæ impletionem urgeat,

arg.

arg. l. i. ff. de consit. per. non potest non pollicitans à  
jure naturali obligari; ut ita quod primo erat volun-  
tatis, postea fiat necessitatis. Et hanc obligationem  
naturalem agnovit Rex Salomon, jus naturale, si  
quis unquam, optimè doctus: ideoq; ea constrictum  
adhortatur, ut se liberet. Spoffondisti, inquit, fili mi, ami-  
co tuo, defixisti alieno tuas volas, illaqueatus es verbis oris tui, ca-  
ptus es verbis oris tui. fac hoc nunc, fili mi. & crue te. Proverb. 6.  
v. 1. Ubi locutionem אַפְתָּעַ רֹעֵךְ non cum vulga-  
to (quem Beat. Lutherus noster vert. Mein Kind  
wirstu Bürger für deinen Nehesten secutus est) & Schin-  
dlero ad rad. שָׁבֵךְ per fidejussionem, sed cum Bene-  
dict. Ar. Montan. per simplicem sponsionem &  
pollicitationem interpretor, quod ex positu vocum &  
contextu, gradatim concepto, purè fluit. Evidem  
non nego verb. שָׁבֵךְ in actu fidejubendi supponi, at  
in tali positu, qualis hic conspicitur, illud ita usurpari  
& explicari pernego. Alia eaq; diversa constructio  
ejus videre est Gen. c. 44. v. 33. וְעִזְבָּנֶךְ אֶת־הַנֶּשֶׁר  
& Esa. c. 36. v. 8. יְעַשֵּׂךְ הַתְּאֻרֵב בְּאֶת־אֶלְיָהּ ubi medi-  
ante partic. אֶת rectissimè pro fidejussione venit, & ita  
verendum esse, contextus dilucidè evincit. Tantum de obligatione naturali formaliter dixisse sufficiat:  
dehinc paucis de naturali materiali disserendum erit.

XXVII. Obligationē juris gentium materiałē ita dico  
respectu placiti s. materiæ, quæ in eam deducitur, cu-  
jus præter actus paciscentium corumq; consensum,  
ut formam, maximè ratio habetur, an iusta, & qua-  
apta sit, ut in obligationem trahi & cum subiecto obli-  
gando uniri possit. Eamq; definio vinculum juris, quo  
alter alteri ex iustitia & equitatis ad placitum præstan-  
dum:

dum per consensum obligatur. *Placitum* hic, quod præmoneo, non in specie, quod contractibus juris civilis causam dat, intelligo, sed quod extra illos cuivis alii conventioni justè subjicitur.

X X I X. Nobilissima hæc Obligationis naturalis est species: quapropter non abs re in ejus essentiam diligentius inquiero, quam ex subiecto objecto & forma explico, ut, ijs cognitis, exacte de ea judicium ferri posit.

XXX. Subiectū, quod hac obligatione adstringitur, est homo rationis suæ compos, qui ex se, non leviori judicio in consentiendi actu fertur. Hinc ergo naturaliter obligari non potest furiosus, mente captus, ob omnino modum mentis absentiam, quia non intelligunt, quid agant: nec minorenis ob mentis infirmitatem: ubi si queratur, quando minorenii judicij firmitas, ut naturaliter obligari possit, accessisse judicetur, dicendum, illud ex usu genium moratorum censendum esse: &, cum Græci, Romani, Hebræi *Grot de jur. Bell. libr. 2011* post decimum quartum annum, constantiam menti minoris inesse statuerint, "concludendum, post decimum quartum annum quemq; jure naturali obligari." Contra juste obligantur omnes illi, qui à ratione & mente valent, ut non excipiatur femina, serv⁹, filius, imo nec prodigus, tum ob firmum animi judicium, quod ipsi adesse potest, ut non tam mente, quam moribus insaniat *l. 12. § 2. ff de tut. & curat. dat.* tum ob jus dominii rerum absolutum, pro quo rebus suis naturali jure abuti possunt. Aliud tamen dicendum, si quis, declaratoria magistratus sententia, prodigus pronunciatus sit: Tum enim, cum locus

locus fiat dispositioni juris civilis de prodigo, qua neque naturaliter, neque civiliter, neque qua effe etum, neque qua substantiam, negotium cum ipso sublustrit, nulla obligationis naturalis vis esse potest.

XXXI Objectum, quod in definitione nomine placiti per Synecdoch. tot. pro part. comprehenditur, sunt res cuiusque propriæ, quæ commercium & dispositionem privatorum non fugiunt. l. ult. in f. C. de pac̄t. l. 34 §. 1. ff. de contr. empt. sive absentes, sive præsentes, sive futuræ arg. l. 73 pr. ff. de V. Obl. l. 3. C. de donat. l. 46. ff. de pac̄t: & facta pariter propria, & in jure sese obligantis existentia l. 65. ff. de fidejus. l. 7. §. 14. ff. de pac̄t. Ut vero hæc obligationi submitti queant, necessum est, ut illis honestas & æquitas insit, quæ inesse censetur, si sint licita. Licta autem cognoscuntur ex illicitis, quæ proinde appono. Illicita talia sunt, vel naturaliter, vel interdictione humana. Naturaliter illicita in genere sunt, quæ juri & æquitati naturali, item honestati & bonis moribus adversantur l. 4 C. de inut. stipul. Hinc in specie atro calculo notata sunt placita, quæ turpitudinem involuunt, & ad delinquendum instigant v. c. ut furtum, homicidium committatur l. 27. §. 4. ff. de pac̄t. ne de dolo, furto, parricidio agatur. l. 27. §. 3. ff. de pac̄t: placita; ut non sit agnatus l. 34. ff. de pac̄t. ut servus sit, non liber l. 6. C. de liber:caus. ut alimenta non præstentur, ut parens in jus vocetur, ut ab hostibus non redimatur; ut hæc vel illa præcise in uxorem ducatur l. 134. pr. ff. de V. Obl. ne quis re sua, prout vult, libere utatur l. 61 ff. de pac̄t: item placita de succendo vel non succedendo, quæ libertatem testandi admunt, & votum caprandæ mortis subinferunt l. 15 C.

de

*de pact. l. 5 C. de pact. convent. Gail. Observ. lib. 2. O. 126.*  
Huc refero etiam pactum de non castiganda uxore  
DN. Mevius ad Jus Lub. P. 2. tit. 2. art. 12. n. 441. Inter-  
dictione humana illicita in genere sunt, quæ repu-  
gnant legibus & moribus civilibus l. 5. pr. C. d. leg. arg. l.  
55. ff de legat. 1. Hinc in specie damnata sunt, placita  
de quota litis l. 53. ff. de pact. l. 15 ff de procur: de delicto,  
sanguinis pænam non ferente, exceptio falsi crimine  
l. 18 C. de transact, ne agatur de rebus amotis & impen-  
sis, in res dotales factis, l. 5 ff de pact. dotal. ne maritus  
in id, quod facere posuit, damnetur l. 14 § 1 ff solut. ma-  
trim. it: placita, quæ inter mercatores, de rebus, certo  
& conuento pretio distrahit, interponuntur l. un. C.  
de monop. Sic itaque evidens est, quod quæcumque, cum  
naturali æquitate & honestate conveniunt, neque juri  
vel moribus civilibus repugnant, objectum legitimum  
Obligationis hujus naturalis esse possint.

XXXII. Ut Subjectum & Objectum, ad obligati-  
onem constituendam, valide uniantur, necessario in-  
tervenit forma, quæ objectum confusum, primo se-  
gregetur, post cum subjecto constringatur. Hæc est  
consensus duorum vel plurium: *Duorum vel plurium di-*  
*citur in respectu termini à quo: duos enim vel plures,*  
*ut causa efficiens oblig: convenire & consensum*  
*conferre oportet. Consensus dicitur numero singulare,*  
*in respectu termini ad quem, quod in una aliquare*  
*præstanda terminetur. Definiri potest duorum vel*  
*plurium voluntas, ex diversis animi motibus ad unum*  
*aliquid præstandum concurrens. Per duos vel plures,*  
*quorum consensus & voluntas pro forma exigitur,*  
*hic intelligitur, tum pars obligans, tum pars obligan-  
da:*

da: illa quidem , ut obligationem acquirat, hæc vero,  
ut se constringi & obligari patiatur, quo respectu tunc  
ad obligationem hanc ut causa efficiens concurrit  
Ut autem consensus stabilem inter subjectum & ob-  
jectum obligationem formet, requiritur, ut ultrò ci-  
troq; ex animo firmo & deliberato prodeat : qua-  
propter deficit in illis, quæ commendandi vel jaçtan-  
di causa prolata sunt arg. l. 2. §. 3. ff de adit. ed. ut ab  
omni dolo, l. 7. § 7. 9 ff de pac̄t. l. 9. C. d. t. metu, l. 116. ff  
de R. I. arg. l. 13. C. de transact. errore, l. 116. ff. de R. I. l. 76  
d. t. liber sit: quamobrem pretium, latroni pro capite pro-  
missum, si non solvatur, nulla fraus est, Cit. 3. de Off. & pa-  
ciscens, ne petatur, si in causa debiti erret, non sum-  
movebitur exceptione pacti, si postea petat l. 51. pr.  
ff. de pac̄t. ut certus & expressus sit; verbis an signis  
par facientibus non refert. l. 2. pr. ff. de pac̄t. l. 29. ff. de  
adopt. Ita comparatus, si ad aliquod placitum concur-  
rat, non potest non existere obligatio , inter personas  
quidem pacientes & consentientes formaliter: inter  
subjectum vero & objectum materialiter: quoposterio-  
ri sensu etiam hic Obligationē naturalē materialē app-  
pellavi. Sic constitutā Obligationē insequitur neces-  
sitas præstandi placita in ea, ex ratione & æquitate  
naturali, qua nihil tam congruum est humanæ fidei,  
quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare l. 1. pr. ff. de  
pac̄t. Cui, si non pareat subjectum obligatum, con-  
tra ipsum jus civile retentionem & compensationem  
permittit. Hæc ut melius cognoscantur, paucissima  
de effe & u hujs obligat. natural. annexenda sunt.

XXXIII. Effectus Obligationis naturalis plenio-  
ris, seu juris gentium, non solum in interiori conscienc-

D

tiæ,

tiæ, ut in obligatione minus plena, sed etiam exteriori  
judicij foro sese exerit: Hic ut liquidior appareat, sci-  
endum, quod ex hac obligatione pleniori in sè & na-  
tura sua considerata, jure & usu gentium competierit  
actio, qua promissum firmiter peti potuit, quod ap-  
paret ex l. i. pr. verb. servare. & l. 7. pr. verb. Juris gentium.  
Wesemb. parat. ff. de paci. n. 9. & concluditur ex l. 5. §.  
Imperator. ff. de solut. in qua debitū naturale opponitur  
civili. Hinc argum: qua ratione sese debitum civile ad  
jus civile, ita le debitū naturale ad jus naturale habet.  
At debitum civile ita se habet, ut firmiter ex jure civi-  
li peti potuerit. Ergo & debitum naturale ita se re-  
spectu juris naturalis habebit, ut firmiter ex eo peti  
quiverit. Et hoc confirmat etiam l. 48. ff. de R. I.  
illud debitum naturale asserens, quod jure gentium  
præstare compellimur. Ut ita minus dubii sit reli-  
quum de naturali ratione retentionis & compensati-  
onis: quandoquidem sese habeant respectu actio-  
nis ut accessoria, quæ naturam principalis sui sequi  
notissimum est. Cum verò jus civile, ex obligatio-  
ne ista naturali lites admodum augeri, cerneret, utili-  
tatem Reipublicæ, cuius interest lites diminui, respi-  
ciens, omnem vim agendi ipsi ademit: & sic accesso-  
rii actionis naturalis effectus simul ademptæ videban-  
tur. Huic cum jus naturale, æquitatem obligationis  
naturalis urgens, per Prætores sese interponeret, l. 7.  
pr. l. 7. §. 7. ff. de paci. eo deuentum est, ut jus civile, ob-  
justiciam & æquitatem naturalem, vi agendi irrita ma-  
nente, alios naturalis obligationis effectus in vigore  
suo ipsi remitteret eosq; confirmaret, & insuper a-  
lios minus principales, concederet. Hinc ergo, ad-  
sistente

sistente & confirmante jure civili, obligationi natura-  
li remansit, RETENTIO, quā quod secundum eam so-  
lutum est, reētē retinetur, & repetitio indebitiq; con-  
dictio impeditur l. 10. ff. de Obl. & Act. l. 26. §. 12. de cond.  
indeb. COMPENSATIO, quā, quod ex ea debetur, non  
modo ex credito & quē naturali, sed etiam civili, licet  
derrahitur l. 6 ff. de compensat. EXCEPTIO, quæ con-  
tra agentem, si extra quam placitum est egerit, justè  
instituitur l. 7. §. 4 ff. de pac̄. Dispositione juris civilis  
præterea admittit CONSTITUTUM l. 1. §. 37 ff. de consti.  
pec. PIGNUS l. 5. pr. ff. de pign. & hypot. NOVATIONEM  
l. 1. §. f. ff. de nov. & del. FIDEJUSSIONEM l. 6. §. f.  
l. 7. ff. de fidej.

XXXIV. Sic explanata obligatione *Natura-  
li Pleniori s. Juris Gentium informi*, de formata,  
quam ita dixi, quod jus civile eam planè appro-  
baverit, ipsiq; vim ad agendum specialiorem,  
impertiverit, notandum, quod ad eam referri  
possint omnes obligationes civiles, ex contra-  
cibus tam innominatis q̄ nominatis, tam reali-  
bus q̄ consensualibus, descendentes, quæ ori-  
ginem primam debent juri naturali; non tan-  
tum ob congruentiam cum recta ratione & na-  
turali aequitate, sed etiam ob usum & exerciti-  
um gentium, quod passim ex Authoribus Græ-  
cis, imò ipsa etiam Scriptura, sacra elucet.  
Ut recte de his Grotius lib. 2. de jur. bell. c. 12.

n. 13.

n. 13. Hæc omnia Romanis quidem congruunt  
legibus, sed non ex illis primitus, sed ex æqvitate  
naturali veniunt. Qvare eadem quoque apud  
alias gentes reperire est. Sed cum hæc jure ci-  
vili receptæ, approbatæ & peculiariter formatæ  
atque ita ipsius propriæ factæ sint, hoc, ut ipsis  
alieno, loco pertractandæ non sunt, videri ta-  
men de illarum ratione naturali potest, Grotius  
*d.l. c. 12.*

His finio discursum hunc de Obligatione  
naturali. Si quæ minùs accuratè de ea conscrip-  
ta sunt, eorum veniam improvisa temporis an-  
gustia à bono Lectore impetrabit.


S O L I D E O   G L O R I A .



99 A 6917



Vf 17 Retros ✓



B.I.G.



XIII.  
DISSERTATIO SOLENNIS  
DE  
OBLIGATIONE  
NATURALI,  
QUAM  
A. T. S. T. A. N.

Decernente Magnifice J. Ctorum Ordine  
In Academia Pomerana.

PRÆSIDE  
VIRO Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo

DN. JOANNE POMERESCHIO,  
J. U. D. & P. Celeberrimo, Confistorii Regii Adses-  
sore & Collegii Juridici h. t. Decano spectabili,  
Fautore & Promotore suo nunquam non plurimum  
colendo,

PRO LICENTIA

Summos in Utroque Jure Honores, privilegia  
& immunitates obtinendi

Publicæ disquisitioni submittit

MATTHIAS Petersen/  
Rostochiensis,  
In Hypero Curie Oppidane 24. Septembr. An. 1661.

G R Y P H I S W A L D I A E  
Typis Matthiae Doischeri, Acad. Typographi.